MASTER NEGATIVE
NO. 93-81548-17

AUTHOR:

RASMUS, EDUARD

TITLE:

IN PLUTARCHI LIBRUM QUI INSCRIBITUR...

PLACE:

BRANDEMBURG A. D. H.

DATE:

1880

Master Negative #

93-81548-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rasmus, Eduard, 1835-
...In Plutarchi librum qui inscribitur De Stoicorum repugnantiis coniecturae... Brandenburg, buchdruckerei von J.Wiesike, 1880.
12 p. 25½ cm.

At head of title: Jahres-bericht über das vereinigte alt- und neustaedtische Gymnasium zu Brandenburg.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/2/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


BEST COPY AVAILABLE




AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

txt crit — Plutarch de Stoicorum repugnantiis

no. 5

JAHRES-BERICHT

ÜBER

DAS VEREINIGTE ALT- UND NEUSTÆDTISCHE

GYMNASIUM ZU BRANDENBURG

VON OSTERN 1879 BIS OSTERN 1880.

Inhalt:

1) In Plutarchi librum qui inscribitur DE STOICORVM REPVGNANTIIS coniecturae.
2) Schulnachrichten.

Beides vom Director Dr. Eduard Rasmus.

BRANDENBURG A. D. H.
BUCHDRUCKEREI VON J. WIESIKE.
1880.

1880. Progr. No. 59.

IN PLVTARCHI LIBRVM QVI INSCRIBITVR

DE STOICORVM REPVGNANTIIS

CONIECTVRAE.

Inter Plutarchi libros qui inscribuntur DE COMMVNIBVS NOTITIIS et DE STOICORVM REPVGNANTIIS quae intercederet ratio, libello scholastico Francofurti ad Viadrum a. 1872 edito demonstravi. Addidi disputationi adnotationes, quibus Notitiarum locos nonnullos pro eo ac possem vel explicarem vel emendando restituerem. De Repugnantiis si qua habebam traditurus eram Rudolpho Herchero, viro et Graecarum litterarum incredibili scientia insigni et animo meo, posteaquam Aelianeorum studiorum communitate ad eum adductus sum, carissimo, ut ad novam Moralium Plutarchi librorum editionem, si liberet, iis uteretur. Qui cum praematura morte absumptus ingens quod susceperat opus primis vix fundamentis iactis incohatum reliquerit, cum nemo, quantum video, ei succedere aut cupiat aut audeat, utor scribendi munere inopinanti mihi oblato, ut iis, quibus Plutarchi Moralia placent, de Repugnantiarum quibusdam locis quid sentiam, exponam. Quam ad rem quod novis subsidiis non instructus accedo, fecerunt idem et Madvigius et Georgius N. Bernardakis, quorum ille in Adversariis criticis, hic in Symbolis criticis et palaeographicis nuperrime editis librum tractavit.

Cap. I. Exordium temporum iniuria interiisse ac ne consilium quidem libri satis perspicue propositum esse neminem fugit, nec *πρῶτον* illud, quod primum locum tenet, habet, quod respondeat, *δεύτερον*. Apparet modo, priorem disputationis partem, qua Stoicae doctrinae cum vita philosophorum dissensus videtur tractari, sex primis capitibus contineri, reliquis autem capitibus Plutarchum id agere, ut, quantopere praecepta cum praeceptis pugnent, explicet. Cf. cp. 32, 3: *ὅσα πρὸς ἑαυτοὺς διαφόρως λέγουσιν, ἐξετάσαι μόνον πρόκειται.* Itaque haud scio an scribendum sit: *τὴν τῶν δογμάτων ὁμολογίαν τοῖς βίοις θεωρεῖσθαι*, pro eo quod nunc exstat: *ἐν τοῖς βίοις.*

Cap. II. Dicit Plutarchus: *πολλὰ μέν, ὡς ἐν λόγοις, αὐτῷ Ζήνωνι, πολλὰ δὲ Κλεάνθει, πλεῖστα δὲ Χρυσίππῳ γεγραμμένα τυγχάνει περὶ πολιτείας.* Madvigius iubet scribi: *πολλὰ μὲν, ὡς ἐν ὀλίγοις*, ut in paucis, pauca enim Zenonem scripsisse, sed in his (pro portione) multa de republica. Errare autem videtur vir summus; primum enim Zeno non ita pauca scripsit (*ἔστι μὲν οὖν αὐτοῦ καὶ τὰ προγεγραμμένα βιβλία πολλά, ἐν οἷς ἐλάλησεν ὡς οὐδεὶς τῶν στωϊκῶν.* Diog. Laert. VII. 38), deinde non Zeno comparatur cum Cleanthe vel Chrysippo sed doctrina (*οἱ λόγοι*) Stoicorum

cum vivendi ratione. Conservanda igitur est vulgata lectio, quae bene explicatur apud Baguetum (Chrysipp. p. 331 not.): non ad ipsius rei actionisque usum sed ad scholae disputationem.

Vituperat Plutarchus Stoicos, quod vitam scholasticam sive litterario otio deditam nihil a voluptuaria differre rati tamen ipsi in ipsa illa vita consenuerint. *Χρύσιππος καὶ Κλεάνθης καὶ Ζήνων καὶ Ἀντίπατρος, οἵ γε καὶ τὰς αὑτῶν κατέλιπον πατρίδας, οὐθὲν ἐγκαλοῦντες, ἀλλ' ὅπως καθ' ἡσυχίαν ἐν τῷ ἡδίονι καὶ ἐπὶ ζωστῆρος σχολάζοντες καὶ φιλολογοῦντες διάγωσιν.* Quo in loco emendando quot homines docti quantum desudaverint, dici non potest. Salmasius scripserat: *ἐν τῷ Διομείῳ* vel *Ὠιδείῳ*, Wyttenbachius: *ἐν τῷ ἡδονικῷ Ἐπικουρείως σχολάζοντες*, Madvigius, se Salmasiana repetere nesciens, *ἐν τῷ Ὠιδείῳ*, significari enim Athenarum aut Atticae locum a philosophis celebratum, testem etiam esse Diog. Laert. VII. 184: *ἐν τῷ Ὠιδείῳ* Chrysippum *σχολάσαι*. At idem, ne quid praetermittam, de eodem philosopho eodem prope loco dicit: *σχολὴν ἔχειν ὕπαιθρον ἐν Λυκείῳ*, ipse Plutarchus autem (d. exil. 14) has sedes philosophorum exulantium enumerat: *ἐν Λυκείῳ, Ἀκαδημίᾳ, Στοᾷ, Παλλάδιον, Ὠιδεῖον.* Quid vero illud *ἐπὶ ζωστῆρος* sibi vult? Dicit Madvigius — nam reliquorum commenta nolo enumerare — „nihil erit miri, si *ἐπὶ Ζωστῆρος* scripseris, ut Atticae vicus et promuntorium intelligatur, ad quod philosophos aestivare et otiari solitos esse apparet". Praeclare, dummodo ullus apud ullum scriptorem exstet locus, quo promuntorium illud Atticae, quod Herodt. 8. 107, Xenoph. Hell. 5. 1. 9, Strabo 6. 398 commemorant, hominibus litteratis in deliciis fuisse probetur. Nam quae habet Pausan. I. 31 nihil valent. Equidem cum recordor, Ciceronem de sen. 14. 46 de vita philosophorum haec scripsisse: *„me delectat is sermo, qui adhibetur in poculo ... et refrigeratio aestate et vicissim aut sol aut ignis hibernus"*, pro *ἐν τῷ ἡδίονι καὶ ἐπὶ ζωστῆρος* suadere audeo: *ἐν τῷ ἡλίῳ καὶ ἐπὶ ψυκτῆρος* = in sole (hieme) et in poculo nive refrigerato (aestate). Tales *ψυκτῆρας*, ut de Athenaeo nihil dicam, Plutarchus saepe commemorat, velut Alexdr. v. 72: *ψυκτῆρα μέγαν ἐκπιών*, de adul. et am. 7: *ψυκτῆρες καὶ φιάλαι*, sept. sap. conv. 3: *εἰς ψυκτῆρα κεράσας μέγαν.* Nec desunt praepositionis *ἐπὶ* c. gen. in hac re exempla: Alexdr. v. 23: *ἐφ' ἑκάστης κύλικος ἀεὶ μακρόν τινα λόγον διατιθέμενος*, ib. 53: *ἐπαινέσαι κελευσθεὶς ἐπὶ τοῦ ποτηρίου Μακεδόνας.* In sole autem philosophos saepe fuisse apricatos non ignorat, quisquis Diogenis ad Alexandrum illud „paululum a sole" tenet memoria.

Cuius narrationis mentione iniecta placet proferre quaedam de tritissimis Alexandri magni verbis tunc auditis, quae talia fuisse discunt pueri atque puellae: nisi Alexander essem, ego vero Diogenes esse vellem. Sic qui dicunt, forsitan sequantur auctoritatem Diogenis Laertii VI. 2. 32: *εἴπερ Ἀλέξανδρος μὴ ἐγεγόνειν, ἠθέλησα ἂν Διογένης γενέσθαι.* Ipse autem graecorum verborum languor docet, non hanc fuisse Alexandri vocem, cuius vera forma a Plutarcho quattuor locis proponitur: Alexdr. vit. 14: *ἐν τῷ Κρανείῳ σχολὴν ἦγεν . . κατακείμενος ἐν ἡλίῳ . . . πρὸς τοῦτο λέγεται τὸν Ἀλέξανδρον οὕτω διατεθῆναι καὶ θαυμάσαι καταφρονηθέντα τὴν ὑπεροψίαν καὶ τὸ μέγεθος τοῦ ἀνδρός, ὥστε τῶν περὶ αὐτὸν . . . . διαγελώντων καὶ σκωπτόντων, ἀλλὰ μὴν ἐγώ, εἶπεν, εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης ἂν ἤμην.* Eadem exstant d. exil. 15, eadem ad princip. inerud. 5 uberius explicata, eadem de Alexandri virtut. I. 10 item a Plutarcho, si modo scripsit librum Plutarchus, copiose illustrata. Dio Chrysostomus, qui orat. 4 fastidiosam dicendi flosculorum lenociniorumque copiam in colloquium illud effuderit, quod illa potissimum verba ne commemorat quidem, mirum est. Verum qui verba: *εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης ἂν ἤμην* sic interpretantur: nisi Al. essem,

ego vero Diogenes esse vellem, primum grammaticam graecam negligunt, neque enim voluntas inest in verbis *ἤμην ἄν* = *ἦν ἄν*, quae nunquam ponuntur pro *ἐβουλόμην ἄν.* Deinde rex qui ita loquitur, secundum rationem condicionalium enunciatorum tacita mentis cogitatione haec ipse sibi opponit: nunc vero, quoniam Alexander sum, nolo Diogenes esse. Hocine tu regie, hoc Alexandro digne dictum esse putas? Immo haec non sunt philosophiam admirantis sed regia potestate paulo ineptius se iactantis. Grammatica autem ratione haec verborum illorum interpretatio postulatur: nisi Alexander essem, ego vero essem Diogenes, i. e. indole ac natura (*διαθέσει* adv. princ. 5) sum philosophus, qualis est Diogenes, casu (*τύχῃ* ib.) autem rex factus sum, itaque non possum philosophiae totum me tradere. Cuius vocis vim egregie imitando expressit Georgius Ebers in libro, qui nunc ipsum in omnium et manibus est et oribus. Inducit enim Ptolemaeum Physconem regem acutissima cum Aristarcho philologo de quaestionibus homericis disputatione habita haec de se dicentem: „Wäre ich kein König, vielleicht würde aus mir ein Aristarch geworden sein."

Cap. II, 5: *Ἀριστοκρέων γοῦν ὁ Χρυσίππου μαθητὴς καὶ οἰκεῖος εἰκόνα χαλκῆν ἀναστηλώσας ἐπέγραψε τόδε τὸ ἐλεγεῖον·*

Τόνδε νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκε,
Τῶν Ἀκαδημιακῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Quis fuerit Aristocreo ille testatur Diog. Laert. VII, 185: (*Χρύσιππος*) *μεταπεμψάμενος δὲ τοὺς τῆς ἀδελφῆς υἱεῖς Ἀριστοκρέοντα καὶ Φιλοκράτην συνεκρότησεν.* Idem ib. 182 describit Chrysippi statuam in Ceramico positam, cuius cur manus porrecta fuerit, facete et urbane Cicero de finibus I. 11. 39 exponit, nec dubito, quin ea Chrysippi effigies, quam Schusterus (Portraits der griechischen Philosophen) ex nummo quodam Pompeiopolitanorum exhibet, ad Aristocreontis statuam sit facta. Ibi facies est senilis. Et quis unquam avunculi statuam ita finxit, ut iuvenilem illi habitum daret? Praeterea ipse Plutarchus addit: *Τοῦτο οὖν Χρύσιππος ὁ γέρων.* Vitium igitur qui videtur sensisse Reiskius scripsit: *τόνδ' ἔνεον Χρύσιππον*; rectius tu scripseris: *τὸν δεινὸν Χρύσιππον*; *δεινότητα* enim hominis omnes admirati sunt. Ac ne quis putet, in statuarum titulis, quod articuli vis parum valeat, semper pronomen demonstrativum *ὅδε* ponendum esse, exstant apud G. Kaibelium (Epigramm. graec. ex lapid. coll. p. 555) versuum exordia plurima in hunc modum conformata: *τὸν θεσμῶν ταμίην, τὸν θρασὺν ἐν θήραις, τὸν κλυτὸν ἐν ζῳοῖσι, τὸν πάσης ἀρετῆς εἰδήμονα, τὸν σοφίῃ προὔχοντα* cet. Quid vero significent illa *τόνδε νέον* de monumento dicta docet ib. epigr. 444:

τόνδε νέον οἱ τύμβον ἀνὴρ ΩΜΑΣΤΟΣ ἔδειμεν.

Cap. IV, 2. Narraverat Antipater, *ὅτι Ζήνων καὶ Κλεάνθης οὐκ ἠθέλησαν Ἀθηναῖοι γενέσθαι, μὴ δόξωσι τὰς πατρίδας ἀδικεῖν.* Dicit Plutarchus, hoc idem esse *ὥσπερ εἴτις γαμετὴν ἀπολιπὼν ἑτέρᾳ δὲ συζῶν καὶ συναναπαυόμενος καὶ παιδοποιούμενος ἐξ ἑτέρας μὴ συγγράφοιτο γάμον, ὅπως ἀδικεῖν μὴ δοκῇ τὴν προτέραν.* Credibile est, scribendum esse *ἑταίρᾳ* et *ἑταίρας*; saepe autem confundi *ἕτερος* et *ἑταῖρος* monet Wytt. in lexico s. v. *ἕτερος.*

Cap. VII, 1. Quattuor honestatis fontes a Platone inventos Zenoni quoque probatos fuisse exponit Plutarchus. Pergit autem sic: *Πάλιν δὲ ὁριζόμενος αὐτῶν ἑκάστην, τὴν μὲν ἀνδρείαν φησὶ*

φρόνησιν εἶναι ἐν ἐνεργητέοις, τὴν δὲ δικαιοσύνην φρόνησιν ἐν ἀπονεμητέοις· ὡς μίαν οὖσαν ἀρετὴν ταῖς δὲ πρὸς τὰ πράγματα σχέσεσι κατὰ τὰς ἐνεργείας διαφέρειν δοκοῦσαν. Apparet hoc loco ad φρόνησιν reliquas rirtutes referri, deesse autem definitionem temperantiae. Casu factum est, ut Plutarchus hanc rem etiam de virtut. morali 2 tractaret: Ζήνων . . ὁριζόμενος τὴν φρόνησιν ἐν μὲν ἀπονεμητέοις δικαιοσύνην, ἐν δὲ διαιρετέοις σωφροσύνην, ἐν δὲ ὑπομενετέοις ἀνδρείαν. Ipse igitur Zeno sic videtur scripsisse: ἐν δέ αἱρετέοις σωφροσύνην, ἐν δὲ ὑπομενετέοις καὶ ἐνεργητέοις ἀνδρείαν. Cf. Cic. Tuscul. IV. 24. 53: *fortitudo est . . conservatio stabilis iudicii in eis rebus, quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis.* Mutilum esse Zenonis in Repugnantiis locum viderunt etiam Küster Progr. Gymn. Werder. Berol. 1864 et Patzig quaest. Plut. 1876.

Cap. VIII. Tractat Plutarchus dilemma Zenonis ad litem diiudicandam utramque partem esse audiendam negantis. Ibi videtur esse scribendum: ὅμοιον ὡς, deleto γάρ, et infra κατ' οὐδέτερον οὖν ἀναγκαῖον. Verba a Dübnero curvis uncis inclusa ἤτοι δ' ἀπέδειξεν ἢ οὐκ ἀπέδειξεν (ἤτοι - ἢ = ἢ - ἢ) possunt servari.

In cap. IX, quo in ordinem disciplinarum a Stoicis tractatarum inquiritur, omnia bene se habent. Vituperat tamen Cobetus Nov. Lect. p. 513: ὧν οὐδέν ἐστι πεισθῆναι μὴ διὰ βάθους ἐγκραθέντα τοῖς φυσικοῖς λόγοις, cum dicit: „immo vero συγκραθέντα, quod est pervulgatum in tali re, in qua ἐγκεκρᾶσθαι risum movet.“ Paullo infra nil interest, servemusne lectionem Duebnerianam μὴ πρότερον ἀλλ' ὕστερον ἐκείνων παραδίδοσθαι, an ponamus quod Bernardakis commendat ἐκεῖνον.

Cap. X. Admodum videntur esse turbata ea, quae de Chrysippi praecepto, ne temere in utramque partem disputetur, habent editiones: τοῖς μὲν γὰρ ἐποχὴν ἄγουσι περὶ πάντων (Academicis) ἐπιβάλλει . . . τοῖς δὲ ἐπιστήμην ἐνεργαζομένοις, καθ' ἣν ὁμολογουμένως βιωσόμεθα, τὰ ἐναντία στοιχειοῦν, καὶ καταστοιχίζειν τοὺς εἰσαγομένους ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους, ἐφ' ὧν καιρός ἐστι μνησθῆναι καὶ τῶν ἐναντίων λόγων. Pro τὰ ἐναντία alius scripsit τὰ ἴδια, alius τὰ δόγματα, alius τὰ ἀναγκαῖα, eiecit Madvig, quod e superioribus repetita sint. Καταστοιχίζειν non esse vocabulum Graecum cum omnes consentiant, idem radicitus exstirpat. Τοὺς εἰσαγομένους plerique videntur interpretari discipulos, quae tamen verbi vis vereor ut ante Christiana tempora inveniatur. Equidem puto τοὺς εἰσαγομένους esse λόγους, argumenta a Chrysippo proposita; argumenta autem rhetores solent non καταστοιχίζειν sed κατασκευάζειν i. e. demonstrare et probare, ut de hac ipsa re paucis versibus post Plutarchus: τοὺς ἐναντίους οἷς δοκιμάζει λόγους κατεσκεύακεν ἐρρωμένως καὶ μετὰ σπουδῆς, neque aliter cap. 23: ἐπελευστικήν τινα κίνησιν ἐν τῷ ἡγεμονικῷ κατασκευάζουσιν et plurimis locis apud Sextum Empiricum. Haec igitur forsitan scripserit Chrysippus:

τοῖς δὲ ἐπιστήμην ἐνεργαζομένοις, καθ' ἣν ὁμολογουμένως βιωσόμεθα, τὰ ἑαυτῶν στοιχειοῦν καὶ κατασκευάζειν τοὺς εἰσαγομένους λόγους ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους.

In proximis desiderari τοῦτο ποιεῖν iam vidit Wy. Pro κακοῦντας, quod quid sibi velit, in obscuro est, scribamus κατηγοροῦντας, quod τῇ συνηγορίᾳ respondeat (cf. § 7: τῶν αὑτοῦ δογμάτων κατήγορον ὄντα δεινότερον ἢ συνήγορον). — § 8 pro ὑποδεικτέον iam Wy. restituit ὑποδεκτέον. — § 15 pro vulgata lectione τὴν τούτων συγγένειαν Madvigius commendavit συνέχειαν; non male, ut videtur.

Caput XI, quo Plutarchus perfecta illa officia impugnat, quae a Stoicis κατορθώματα vocabantur, librariorum incuria non uno loco mutilatum est. Initium hoc est: Τὸ κατόρθωμά φασι νόμου πρόσταγμα εἶναι, τὸ δὲ ἁμάρτημα νόμου ἀπαγόρευμα, διὸ τὸν νόμον πολλὰ τοῖς φαύλοις ἀπαγορεύειν, προστάττειν δὲ μηδέν, οὐ γὰρ δύνανται κατορθοῦν. Proxima his haec Chrysippi verba excidisse putat Wy.: οὐδὲν τοῖς σοφοῖς ἀπαγορεύειν, οὐ γὰρ δύνανται ἁμαρτάνειν. Et recte mihi videtur ille sentire. Nam, nisi verba illa adicientur, tota quae sequitur disputatio non habebit quo referatur. Duplex autem est Plutarchi consilium. Primum demonstrat, contra sua ipsorum praecepta Stoicos etiam improbis πρόσταγμα imponere; imperare enim servis suis κατόρθωμα non μέσον. Si vero sapientes dicant, se servis suis μέσον imperare [scribendum enim est εἰ δὲ μέσα προστάττουσιν οἱ σοφοὶ τοῖς δούλοις, reiecta Madvigii coniectura], nihil impedire, quin νόμου πρόσταγμα ad μέσα spectans etiam improbis imponatur. Contra non solum improbis sed etiam sapientibus νόμου ἀπαγορεύματα iniungi, nam male facere sua quemque vetari cautione et ratione, hanc autem eandem esse ac legem. Qua de cautione haec habet Diog. Laert. VII, 116: καὶ τὴν μὲν χαρὰν ἐναντίαν φασὶν (οἱ στωϊκοὶ) εἶναι τῇ ἡδονῇ οὖσαν εὔλογον ἔπαρσιν, τὴν δὲ εὐλάβειαν τῷ φόβῳ, οὖσαν εὔλογον ἔκκλισιν, φοβηθήσεσθαι μὲν γὰρ τὸν σοφὸν οὐδαμῶς, εὐλαβηθήσεσθαι δέ = Cic. Tusc. IV, 6. 12: *Quoniamque, ut bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus, quae declinatio cum ratione fiet, cautio appelletur eaque intellegatur in solo esse sapienti.* Hanc igitur cautionis definitionem si memoria tenebimus — et tenuit Plutarchus — ea quae sequuntur licebit hunc in modum restituere: οὐκοῦν καὶ ἡ ἀφορμὴ λόγος ἀπαγορευτικὸς καὶ ἡ εὔλογος ἔκκλισις· καὶ ἡ εὐλάβεια τοίνυν λόγος ἐστὶν ἀπαγορευτικὸς τῷ σοφῷ.

Cap. XII. Scripseritne Chrysippus καὶ τὴν εὐχρηστίαν καὶ τὴν χαρὰν εἰς τὰ μέσα διατείνειν an εὐχαριστίαν dubitavit Stephanus. Habent autem codices Wyttenbachii εὐχρηστίαν, itaque maneat haec lectio per se aptissima. Illud enim contendere Stoici non desierunt, plurimum interesse inter εὔχρηστα (commoda) et χρήσιμα sive ὠφέλιμα (emolumenta); haec esse bona, illa modo προηγμένα. Spectat huc maxime locus Ciceronis de finib. III, 21. 69: *Ut vero conservetur omnis homini erga hominem societas . . et emolumenta et detrimenta (ὠφελήματα et βλάμματα appellant) communia esse voluerunt . . . neque solum ea communia verum etiam paria esse dixerunt, incommoda autem et commoda (ita enim εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα appello) communia esse voluerunt, paria noluerunt,* cui loco adiungenda sunt quae Notit. 20, 2. legimus: τὰ μὲν προηγμένα καὶ ληπτὰ καὶ νὴ Δία εὔχρηστα.

Cap. XII, 4. Editio Parisina haec exhibet: πῶς οὖν ἀποκναίει . . γράφων ὡς „οἰκειούμεθα πρὸς αὐτοὺς εὐθὺς γενόμενοι καὶ τὰ μέρη καὶ τὰ ἔκγονα τὰ ἑαυτῶν;“ Quae vis esset Stoici verbi οἰκειοῦν exposuit cum Plut. Notit. 4 tum Diog. Laert. VII, 85. Ad hoc ipsum Chrysippi in quo nunc versamur praeceptum spectat Ciceronis locus (de finib. III, 5, 15): *Placet his . . . simul atque natum sit animal . . . ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum.* Itaque scribendum est: ὡς οἰκειούμεθα πρὸς αὑτούς = πρὸς ἡμᾶς αὐτούς, quae est Wyttenbachii quoque lectio. Cf. etiam Madvig. comm. ad Cic. d. finib. pg. 816 ed. II. Not. 3.

Cap. XIII. 3. Chrysippus haec dicit: τάχα γὰρ ἀγαθοῦ αὐτῆς (τῆς ἡδονῆς) ἀπολειπομένης, τέλους δὲ μή, τῶν δὲ δι' αὑτῶν αἱρετῶν ὄντος καὶ τοῦ καλοῦ, σώζοιμεν ἂν τὴν δικαιοσύνην. Eadem

leguntur infra cap. 15. 3. 5. Utroque loco Madvigius iubet scribi: *τῶν δὲ δι' αὐτῶν αἱρετῶν ὄντως* scil. *τέλους ἀπολειπομένων*, minus bene, ut opinor. Nam quae per se appetuntur, etiam re vera appetuntur, nec video, quomodo *τέλους ἀπολειπομένων* supplere liceat ad pluralem illum: *τῶν δι' αὐτῶν αἱρετῶν* interiecto singulari *τοῦ καλοῦ*.

§ 5. Affertur Chrysippi locus *ἐν τῷ περὶ τοῦ Διός· αὔξεσθαι τὰς ἀρετὰς καὶ διαβαίνειν.* Est haec vox Stoicorum propria, eiusdem enim Chrysippi locus exstat etiam de audiend. poet. 11: *Χρύσιππος παραβιαζόμενος εὐρύοπα Κρονίδην εἶναι τὸν δεινὸν ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ διαβεβηκότα τῇ δυνάμει τοῦ λόγου.* Quem locum dum Wy. in *animadversionibus* tractat, videtur mihi minus recte originem vocis ad Homericum illud *εὖ διαβάς* rettulisse. Melius comparaveris Ciceronis verba, qui ipsius Chrysippi locum videtur in latinum convertisse (d. fin. III, 15. 48): *quamquam negant (Stoici) nec virtutes nec vitia crescere, tamen utramque eorum fundi quodammodo et quasi dilatari putant,* ad quae illustranda Madvigius in commentario adiungit Senec. epist. 74, 28: *Modo latius virtus funditur, regna, urbes, provincias temperat . . . modo arto fine circumdatur.* Incidit in Ciceronis locum etiam Sibmacher-Zijnen in libro *de Chrysippi placitis a Plutarcho diiudicatis* scripto.

§ 6. Quamvis omnia recte facta paria sint, tamen Chrysippum discrimen quoddam admittere dicit Plutarchus. *Λέγει γὰρ οὕτως ἐν τῷ περὶ Διός· Ἔργων γὰρ κατὰ τὰς ἀρετὰς ὄντων οἰκείων, ἔστι τὰ προενεχθέντα καὶ τούτων· οἷον ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι . . . τίνα ἐμφαίνει ψυχρίαν ὁ διὰ τῶν τοιούτων ἐπαινεῖν τινας ἐπιχειρῶν.* Turpiorem prope mihi videtur Plutarchus *ψυχρίαν ἐμφαίνειν*, talia si scripsit. Nam, ut apta essent proxima exempla, non id ei dicendum erat, esse quaedam ex eis quae virtute fierent aliis praestantiora (*προενεχθέντα*) sed quaedam minus laude digna, ut ipse supra dixerat: *ἐπαινεῖν μὴ πᾶν τὸ πραττόμενον τὸ κατ' ἀρετήν*, vel ut infra habet *τοὺς ἐπαίνους ἀλλοτριώσεσθαι κατὰ τὰ τοιαῦτα*, vel § 9: *προσήκει γὰρ τὰ μὲν ὅλως παραπέμπεσθαι*, vel cap. 23, 1: *εἶναί τινα πράγματα μὴ πολλῆς ἄξια ὄντα πραγματείας* cet. Quid multa, pro *προενεχθέντα* ponamus *παρενεχθέντα* = quae negleguntur. Cf. Plut. Arat. 43: *τότε μὲν οὖν παρήνεγκε τὸ ῥηθέν*, Pelopid. 10: *τοῦ Φιλλίδου παραφέροντος τὸν λόγον.*

§ 8. Madvigius putat excidisse significationem actionum vere virilium et modestarum, cum ad hanc formam (si non his ipsis verbis) scriptum esset: *εἰ γὰρ ἴσον ἐστὶ τὸ ἀνδρείως [ὑπὲρ πατρίδος μαχόμενον σωθῆναι καὶ τὸ ἀνδρείως] δῆγμα μυίας ἐνεγκεῖν καὶ τὸ σωφρόνως [καλῆς νεάνιδος καὶ τὸ σωφρόνως] ἀποσχέσθαι τῆς γραός, οὐδέν, οἶμαι, διαφέρει τὸν σπουδαῖον ἀπὸ τούτων ἢ ἀπ' ἐκείνων ἐπαινεῖσθαι.* Addo locum Sexti Empirici adv. mathem. p. 424. 15 Bekk. *ἐγκρατεύεται γάρ φασιν οὐχ ὁ θανατιώσης γραὸς ἀπεχόμενος ἀλλ' ὁ Λαΐδος καὶ Φρύνης . . ἀπεχόμενος.* Vidit rem etiam Wyttenbachius. Mirum certe est, idem vitium in iisdem rebus et verbis etiam Notit. VI § 1 accidisse. Nam neutro loco actiones vere viriles cogitando — ut quidam voluere — supplere licet, cum Plutarchus in Repugnantiis adiecerit: *ἀπὸ τούτων ἢ ἀπ' ἐκείνων*, in Notitiis *ὁμοίως γὰρ ἀμφότεροι κατορθοῦσιν.* Recte tamen Madvigius sensisse putandus est. Quod ne cui incredibile videatur, in Notitiis, quo in libro argumentatio per dilemmata ex binis similibus membris composita procedere solet, fere triginta locis librarii neglegentia factum est, ut prius membrum altero similiter incipiente quasi absumeretur. (Cf. comm. meam p. 12). Ceterum § 7 *δυσθανατῶσα γραῦς* minus recte dicitur quam aut *θανατιῶσα* ut est apud Sextum aut *δυσθανατοῦσα* cf. Plut. Lucull. 18. 7, Eumen. 7. 3. Otho 2.

Sequuntur apud Plutarchum duo Chrysippi soritae, quos apud Ciceronem latine conversos reperias: *τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν, τὸ δὲ αἱρετὸν ἀρεστόν, τὸ δὲ ἀρεστὸν ἐπαινετόν, τὸ δὲ ἐπαινετὸν καλόν* =

quod bonum sit, id esse optabile, quod optabile id expetendum, quod expetendum id laudabile, dein reliqui gradus (de finib. IV. 18, paulo variata de fin. III. 8. 27 c. not. Mdvg.), deinde *τὸ ἀγαθὸν χαρτόν, τὸ δὲ χαρτὸν σεμνόν, τὸ δὲ σεμνὸν καλόν* = Tusc. V. 15. 43: *omne bonum laetabile est, quod autem laetabile, id praedicandum et prae se ferendum, quod tale autem, id etiam gloriosum, si vero gloriosum, certe laudabile, quod laudabile autem, profecto etiam honestum; quod bonum igitur, honestum.* His igitur soritis inter se copulatis utitur Plutarchus, ut dilemma, quo Chrysippum discrimen inter bona admittere doceat, hunc in modum componat: Sive omne bonum est laudabile, laudabile est abstinere a vetula, sive non est omne bonum laudabile, non omne bonum est nec gloriosum nec optabile. Graece igitur scripsit: *εἴτε [οὐ πᾶν ἀγαθὸν ἐπαινετόν, οὐδὲ] πᾶν ἀγαθὸν οὔτε σεμνὸν οὔτε χαρτόν.*

Cap. XVI. In loco de iniustitia, quem Reiskius Sphingis aenigmate obscuriorem dixit, omnia me absoluturum esse non promitto. Tractat Stoicam illam sententiam: *ὁ ἄλλον ἀδικῶν ἑαυτὸν ἀδικεῖ.* Profert tria argumenta, unum Platonicum, Stoica duo. Plato (Sophist. 228. A) dicit, in ipso iniusto homine quasi duos esse homines qui secum pugnent et alter alteri noceant. Hac argumentatione reiecta rem tamen ipsam *ὅτι ὁ ἄλλον ἀδικῶν ἑαυτὸν ἀδικεῖ* Chrysippus tenet duabusque rationibus (de quibus cf. Madv. ad Cic. d. fin. III. 21. 69) probat, quarum una ex ipsius iniustitiae natura, altera ex hominum societate repetita est. Primum enim sic licet concludere: qui alterum laedit, iniuste agit, qui iniuste agit, turpiter agit, qui turpiter agit, miser est, itaque qui alterum laedit, suae miseriae ipse est auctor. Altera ratio haec est: Est artissima quaedam inter homines societas. Ita, quidquid quispiam male fecit, id suae turpitudinis fructum ad omnes malos propagat, nocetque mihi, si malus sum, quod malus aliquis longissime a me remotus male facit. Has igitur argumentationes Plutarchus proponit coniunctas non confusas aut contortas. Proinde constituamus Chrysippi verba § 3 sic: „*Οὐ γὰρ κατ' ἰδίαν αἱ ἀδικίαι, συνεστήκασι δὲ ἐκ πλειόνων τοιούτων τἀναντία πασχόντων,*“ *καὶ ἄλλως* (haec Plutarchus dicit = et alia ratione): „*τῆς ἀδικίας λαμβανομένης, ὡς ἂν ἐν πλείοσι πρὸς ἑαυτοὺς (= πρὸς ἀλλήλους) οὕτως ἔχουσιν*“.

Cap. XX, § 3. Ed. Par. habet *συμβιώσεται βασιλεῖ καὶ στρατεύσεται μετὰ βασιλέως.* Monet Mdg. ut scribamus *συμβιώσεσθαι* et *στρατεύσεσθαι*, sed, cum facilis sit transitus ab oratione recta ad obliquam, non est quod vulgatam lectionem mutemus. — § 5. Omnia sana esse vix est credibile, quomodo enim res contrariae possunt defendi altera *διὰ τοὺς ὁμοίους ὑπολογισμούς* (saepius invenitur vox *ἐπιλογισμός* cf. Wy. ad Plut. d. aud. 6.) altera *διὰ τοὺς παραπλησίους λόγους*? — § 11 rectius erit si scribes: *καθάπερ οἱ πλείους πεποιήκασιν*, § 12 *ὑπὸ συγγραφῆς.*

Cap. XXI. Exponit Plutarchus, secundum Stoicorum doctrinam rerum naturam non semper utilitatis sed interdum etiam pulchritudinis et elegantiae esse studiosam. Apparere hoc maxime in caudis pavonum (cf. Cic. d. fin. III. 5. 18: *alia autem nullam ob utilitatem quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba).* Verba Plutarchi de Chrysippi sententia haec sunt in ed. Par.: *Ἐνταῦθα γὰρ ἐμφαίνει τὸ ζῷον γεγονέναι ἕνεκα τῆς κέρκου καὶ οὐκ ἀνάπαλιν, τῷ ἄρρενι γινομένῳ οὕτως ἡ θηλυδοῦν ἠκολούθηκεν.* Wyttenbachius haec commendat et latine interpretatur: *τῷ δ' ἄρρενι γενομένῳ οὕτως ἡ θήλεια γοῦν ἠκολούθηκεν* „*ceterum*

masculo ita nato femina tantum consequentiae causa addita est. Quae maxime frigere ratus Bernardakis scribendum putat: τῷ γὰρ ἄρρενι γενομένῳ οὕτως ἡ θήλεια οὐκ ἂν ἠκολούθησεν, quomodo locum ipse explicet non adiciens. Illud nemo ignorat, in pavonibus feminarum caudas non tam variis coloribus quam marium esse distinctas. Quaeritur autem, quid sibi hoc loco velit verbum ἀκολουθεῖν. An elegantissimi ornatus admiratione captae feminae cupiditate flagrantes mares sequi videntur, ut decantatae a nostratibus de sexuali, ut aiunt, selectione doctrinae prima hoc loco quasi semina apparere putemus? Immo Stoicorum ipsorum in hac voce utenda mos est observandus. Significant autem hoc vocabulo totius rerum naturae cohaerentiam et compagem ipsumque interdum fatum (cf. Chrysipp. ap. Gell. VII. 2. 3. εἱμαρμένην εἶναι φυσικήν τινα σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων), atque etiam incommoda, quae rebus aptissimis adgnata cohaereant, dicunt; *„per sequelas quasdam necessarias facta esse vel* κατὰ παρακολούθησιν (Gell. VII. 1. 9). Sic elegantiae causa natura id modo egit, ut mares pavones procrearet, his autem — ne genus semel creatum interiret — consequentiae lege feminas illas quamvis turpes addere coacta est. Haec si recte se habent, probata Wyttenbachii interpretatione sic scribamus: τῷ γ' ἄρρενι γινομένῳ οὕτως ἡ θήλεια οὖν ἠκολούθηκεν, hiatuum foeditatem Chrysippea verborum origine excusantes. Nam γ' οὖν non semel spatio quodam separata inveniuntur. — Sub finem capitis haec est vera forma versus Euripidei: ἅπερ πάρεστι καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν, quo versu saepissime usum esse Chrysippum testatur Gellius VI. 16. 6.

Cap. XXII. Initio capitis haec Plutarchum scripsisse verisimile est: ἐν τῷ τρίτῳ τῶν Προτρεπτικῶν, qui liber etiam Rep. 17 citatur, quamquam rem, de qua disputatur, Chrysippus etiam ἐν τοῖς περὶ τῶν μὴ δι' αὑτὰ αἱρετῶν et ἐν τῷ περὶ πολιτείας (Diog. Laert. VII. 188) tractavit. Extrema paullo aliter atque Mdvg. suasit fortasse hunc in modum restitui possunt: ἄτοπον μὲν οὖν τὸ ἐκεῖ μὲν εὔκαιρον εἰπεῖν τὴν τῶν ἄλλων ζῴων ἀποθεώρησιν, ἐνταῦθα δὲ ἄλογον. Posuit certe verbum ἀποθεώρησιν (= παράθεσιν § 1), quod Wy. commendat, Plut. Ag. et Gracch. comp. 1. ὑπολείπεται λαβεῖν ἐκ παραλλήλου τῶν βίων τὴν ἀποθεώρησιν.

